



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiariam, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Concessio sedis Apostolicae licere diuina officia celebrare sub generali
terrae interdicto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

Concessio sedis Apostolicæ licere diuina officia celebrare
sub generali terræ interdicto.

INNOCENTIUS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Præposito
Conuentui Ecclesiæ *Vnden*. ordinis sancti *Augustini Frisingen*. Dioces. salutem
& apostolicam benedictionem. Cum à Dei laudibus filere nõ debeat lingua car-
nis prouideri à nobis humiliter postulatis ne pro aliena culpa cessare à diuinis
officiis vos contingat, vestris igitur supplicationibus inclinati vobis auctoritate
præsentium indulgemus vt cum generale terræ fuerit interdictum liceat vobis
ianuis clausis excommunicatis & interdictis exclusis non pulsatis campanis
submissa voce diuina officia celebrare dummodo causam non dederitis inter-
dicto, vel id non contingat vobis specialiter interdicti. Nulli ergo omnino ho-
minum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temera-
rio contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit indignationem om-
nipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incur-
sum. Datum *Lugdun*. XV. Calen. Aprilis Pontificatus nostri anno septimo.

Testamentum *Friderici* Palatini *Hierosolimam*
secundò pergens.

NOtum sit omnibus fidelibus tam presentibus quàm post futuris qualiter ego
Fridericus Palatinus pergens *Hierosolimam* secundo ad visitandum Domini
sepulchrum gloriosum, vt habeam partem in resurrectione prima disposui pro
salute animæ meæ & parentum meorum prædium in *Gündilkouen* & vineas cum
omnibus appendiciis suis & omni iure & prædium in *Witramesdorf* cum omni
iure & tres curtes in *Schiren* & vnã curtem quam emi à *Dytrico de Raitpach* &
vnã quam emi de *Heinrico Lotere* & vnã in *Ecke* delegata in manus *Otonis* ma-
ioris & junioris fratrum meorum si non renertar ad tributionem vniuersis de-
me querelantibus si aliud inde fieri non rogauero. Postea autem quam vniuer-
sa fuerint composita & elimata pro consilio bonorum virorum *Gündilkouen* ad
Ensdorf quod prædictum est detur, tres curtes in *Schiren* ad *Schören*, *Ecke* ad *Vn-*
densdorf ad *Mospurg*, prædium quod à *Dytrico* emi de *Raitpach* ad *Chüabach*; præ-
dium quod ab *Heinrico Lotere* emi ad *Tyerhaupt*: hæc prædia præfatis locis ca-
condicione offerri placuit vt si qua forte querimonia postea nata fuerit per ipsa
claustra ex vsu prædiorum componatur. Proinde specialiter ad ecclesiã *Enf-*
dorf hæc dedi prædia, *Gündilkouen* vt dixi cum omni iure, *Salkendorf* cum omni iu-
re, *Hartvvigeshouen*, *Püchenlac*, curtem *Hermarsteten* & conuicium eius & *Ha-*
senvvisen quod annuatim XII. solidos soluit quæ delegata sunt in manu fratris
mei *Otonis* Iunioris. Item vineas *Incarnia* delegatas in manus *Ilsvigi* de *Wesste-*
zen. Item molendinum in *Ebenvvisen* delegata, *Rupertilipi* de *Gegilbach* quod VI.
talentis à *Rudigero* de *Aichbrunnen* redimi debet. Item prædium *Ergoltingen* dele-
gatum in manus *Herandi* de eadem villa. Item prædium *Buirbach* delegatum in
manus *Othmari* de *Ergoltingen*. Item prædium *Stainperck* delegatum in manus
Wdalrici de *Salaa*. Item prædium *Trädenlenheim* cum omni iure. Item *Marpach*
delegata in manus *Otonis* maioris. Ea autem condicione prælibata prædia ob-
tuli si in hac via viam vniuersæ carnis ingressus fuero, vel repatrians aliud inde
non disposuero. Sciendum etiam quod prædium *Hermarsteten* & conuicium
eius & *Hasenvvisen* in dotem statui nouæ ecclesiæ sanctæ *Marie* hoc pacto vt di-
midium talentum ex hoc pro concinnandis luminibus omni nocte perpetuo
habeatur ac de cetero annunciatio Dominica solemniter celebretur nihilomi-